

est feracissima, adeo ut ibi non alia ligni genera in usu sint, quam odorata, ait Plinius; abundat quoque auro, argento, adamantibus, gemmis, margaritis; nutrit leones, pardos, equos, mulos, camelorum et elephanthorum greges; fertur denique sola Arabia Felix phoenicem avium reginam alere. Tum quia tres Magi et reges, primi ex omnibus provinciis, ex hac Arabia ad Christum adorandum, duce stella, venerunt Jerusalem, juxta illud, *Psal. LXXI, 10*: «Reges Arabum et Saba dona adducent,» scilicet aurum, thus, et myrrham, quae puero Jesu obtulerunt, *Matth. II, 11*. Denique S. Paulus ad Christum conversus illico in hanc Arabiam abiit, ibique per triennium praedicavit tanto fructu, ut unica illius urbs Beccara, quae archiepiscopalis sedes erat, episcopatus sub se habuerit 83, teste Wilhelmo Tyrio in *Bello Sacro*, et ex eo Adrichomius in *Arabia*.

## SECUNDUS SENSUS

## PARTIALIS,

## De Christo et anima sancta.

Anima sanctae *binis oculis* sunt meditatio et contemplatio: haec similes sunt piscinis, *primo*, quia sicut in piscinis aluntur pisces, sic in meditatione utriusque pie mentis affectiones et desideria.

*Secundo*, sicut piscinae sunt limpidae, redduntque imaginem influentis, sic anima in meditatione fit speculum recipiens Dei similitudinem, ejusque imaginem in se representans.

*Tertio*, sicut piscinae largas emittunt aquas, sic oculi defluunt et deplunt lacrymas devotionis et compunctionis, ut patet in Davide dicente *Psal. VI, 7*: «Laboravi in gemitu meo, lavabo per singulas noctes lectum meum: lacrymis meis stratum meum rigabo,» hebraice *פדען אמע*, id est *liquescere* et quasi *natare faciam*, q. d. Tam copiosas fundam lacrymas, ut his quasi liquescat et innaleat lectus. Et Jeremias, *Thren. I, 16*: «Idcirco, ait, ego plorans, et oculus meus deducens aquas: quia longe factus est a me consolator, convertens animam meam.» Audi S. Gregorium: «Hesebon *cingulum marmoris* interpretatur; oculi ergo sponse sicut *piscinae* in Hesebon dicuntur, quia dum de peregrinatione sua contrastantur, et merore corroborati contra spiritalia hostes accinguntur, lacrymis se lavant, ut per eos populi conveniatur coram Deo mundentur.» Sic et Rupertus, Beda et S. Thomas: Audi Apollonium: In oculis Hesebon illi videntur ostensi, qui pro suis vel alienis criminibus fontes proferunt lacrymarum; et Ingo Victorinus, *Annot. in Joelam*: *Piscinae Hesebon*, ait, sunt diversa genera compunctionis; oculi ergo sponse sunt *piscinae* in Hesebon, quia inde magis magisque clarificantur, unde in piscinis haece frequentibus lavantur. Sic Judei in fine mundi de sua perditione tam longa compuncti, imbres lacrymarum effundunt quasi *piscinae Hesebonis*.

*Quarto*, sicut piscinae haece erant juxta portam *flumina multitudinis*, sic meditatio et contemplatio sunt juxta portas paradisi, ubi est innumera multitudo filiorum Dei, puta sanctorum et beatorum.

*Quinto*, sicut in piscinis aqua est stagnans, ideoque quieta et stabilis, sic meditatio animae motus componit, facitque stabiles et quietos. Hae sunt aquae Siloe, quae vadunt cum silentio, *Isaia cap. VIII, 8*.

*Sexto*, sicut piscinae copiosam fundunt aquam, sic meditatio copiosos facit conceptus et affectus, quos in multitudinem quantumvis amplam effundamus.

*Septimo*, hae piscinae sunt in Hesebon hebraice idem est quod *cogitatio*, ruminatio, computatio, supputatio, aestimatio, quia vis et fructus meditationis consistit in profunda et seria ruminatio, aestimatione et ponderatione mysteriorum fidei: ideo enim multi fideles, licet credant oculi praemia et gehennae tormenta, hinc tamen non moventur ad abstinendum a peccatis, et ad observandum Dei leges, quia illa pro sui gravitate non expendunt, non ruminant, non ponderant. Quis enim audeat furari, fornicari, occidere, si serio et profunde penderet et ponderaret aeterna gehennae incendia, quae certissime sibi accessit? vide Bernardum in lib. *De Considerat.*: hinc Hebraei *opus machabaeum*, quod idem est radicaliter cum *hesbon* sive *hesbon*, id est *cogitationis*, vocant opus artificiosum, arduum et ingeniosum, quod multa cogitatione et meditatione indiget, quale est opus phrygionum: sic opera bona, quae ex meditatione profunda proficiuntur, sunt elaborata, exacta, eximia, heroica.

## TERTIUS SENSUS

## PRINCIPALIS,

## De Christo et B. Virgine.

*Primo*, Rupertus: B. Virginis oculi, inquit, erant velut piscinae ob compunctionem et lacrymas, quas pro Ecclesia et fidelium miseris fundebat. Hinc anagogice idem Rupertus, per duos oculos similes duabus piscinis, accipit irriguum superius et inferius, quod Axa petiit a patre Caleb, *Judic. I, 15*: «*Irriguum enim superius*, inquit, accipit anima, cum se in lacrymis caelestis regni desiderio affligit; *irriguum vero inferius* accipit, cum interni supplicia flendo pertimescit. Igitur in his verbis: *Oculi tui*, etc., sensus mysticus est, ac si diceret: Oculi tui pre amore vel desiderio *Siloe*, quo langues et compungens, flant lacrymis, et istae lacrymae *piscinae* sunt in Hesebon, id est aquae manantes *cingulo marmoris*: ista compunctio terra est irrigua aquis, principium quoddam aeternae dulcedinis et hereditatis: sicut illa Hesebon et terra trans Jordanem prima fuit possessio terra promissionis illi *flum multitudinis*, scilicet plebi Israeliticae, cujus multitudine non pauciores

sunt, qui ascenderunt vel ascendant, ut reprobationem accipiant aeternae hereditatis.»

*Secundo*, Alanus: Oculi Virginis dicuntur *vita contemplativa* et activa: in activa videt quid agendum, in contemplativa quid diligendum; comparantur istae piscinae, quia Virginem spirituali refectione satiant, et a macula peccati liberant. Hae sunt in Hesebon, id est in *cingulo marmoris*, pro diuturnitate laboris et miserie, et quantum ad contemplativam pro dilatione patriae; quae piscinae sunt in Ecclesia, hoc est in porta *flum multitudinis*.

*Tertio*, Guilielmus: B. Virgo, ait, similis erat cherubinis, qui in circuitu et intus pleni sunt oculis, *Ezech. I, 18*: «plena enim erat ipsa oculis providentibus, sine intermissione providendo bono, non tantum coram Deo, sed coram hominibus omnibus. Plane hos oculos ejus nullus unquam vel tenuis carnalis illecebrae pulvis fuscavit; nullus vel modicus emulationis, sive iracundiae motus turbavit, sed ad instar aquae vivae puri semper atque perlucidi fuerit, quia nihil in se turbulentum, sive pulverulentum habebat, sed quaedam aquae vivae, id est caelestis gratiae similitudinem exprimebant.» Audi Christum oculos B. Virginis S. Brigitte depingentem, lib. *V Revelat.* in fine, Interrog. 9: «Oculi tui fuerunt in conspectu Patris mei sic lucidi, quod se speculabatur in eis, quia in spirituali visu tuo et intellectu animae tuae videbat Pater omnem voluntatem tuam, quod nihil volebas nisi ipsum, et nihil desiderabas nisi secundum ipsum.»

NASUS TUIS Sicut TURRIS LIBANI, QUAE RESPICIT CONTRA DAMASCUM. — Hebraice *תורן ליבנו*, id est, *speculans faciem Damasci*, ita Pagninus, Septuaginta, *prospiciens faciem Damasci*.

Turris Libani, ait Adrichomius in *Descript. Terrae Sanctae*, pag. 100, num. 90, erat turris quam Salomon in monte Libano (ibi enim cum edificasse patet *III Reg. IX, 19*, et *II Paralip. VIII, 6*) prope Damasum construxit tanta celsitudine, ut inde domus Damasci numerari possent; tanta vero pulchritudine, ut nasus sponse illi comparatur. Turris haec erat loco speculata, ut ex ea Syrorum, qui Iudeam crebris excursionibus infestabant, adventum, insidias et conatus prospicerent, et Iudeis, dato ignis vel tubae signo, praenuntiare possent, ut vel fugam vel arma ad eis occurrendum pararent. Damasus enim erat caput Syriae, ut ait *Isaia*, cap. VII, vers. 8.

Pro nasus, hebraice est *תורן*, quod tam faciem quam nasum significat; unde nonnulli cum Vatablo et Pagnino vertunt, *facies tua sicut turris Libani*, quia facies sponse rotunda erat, alta et elevata instar turris, ut eminus sita prospiceret; Noster tamen, Septuaginta, Pagninus et Hebraei vertunt, *nasus*.

Quaerens, quomodo nasus sponse comparatur turri? videtur enim prima facie haec enormis, inconcinnata et indecora hyperbole. Nonnulli per

nasum accipiunt monile adinstar turris Libani formatum, quod e fronte ad nares more orientarium dependebat, illasque ornabat: hoc enim ornamento priscae nasum decorasse docet S. Hieronymus in *Ezech. XVI, 12*, ad illa: «Bedi in aurem super os tuum.» Rursus noster Sanchez censet nasum comparari turri Libani: quia, inquit, haec eminus spectata parva ob distantiam videbatur, ac habere speciem nasi. Sic rupes juxta Surrentum vocantur *capreae*, teste Plinio lib. III, cap. VI, quia eminus aspicientibus formam capreae representant: et quae *Seylla* dicitur, saxum est in Sicilia; quae *Niobe*, saxum est in Syppilo: quia Seylla et Niobe similitudinem intuentibus obijciunt. Verum hic nasus comparatur turri, non tantum quoad speciem et apparamentum, sed quoad veritatem et rem ipsam. Dico ergo Salomonem in Canticis hoc bucolico, sponse membra more hebraeo assimilare rebus ruralibus: sic versus praecedenti oculos sponse assimilavit piscinis Hesebon, et vers. 8, caput ejus assimilavit Carmelo: sic hic nasum comparat turri Libani, non quoad magnitudinem, vel altitudinem: quis enim, licet gigas et Polyphemus, habeat nasum tam longum, quam alta est turris?

Sed *primo*, quoad proportionem, quia quantum e Libano monte eminet haec ejus turris, tantum proportionaliter nasus sponse eminet e pectore, caeterisque membris illi subjectis. Rursus, sicut magna e Libano exurgit turris, sic magnus proportionaliter e facie sponse exurgebat nasus. Indicat ergo sponsum magnum habere nasum, sed decentem et proportionatum faciei: magnus enim nasus signum est magnae crisis, prudentiae, iudicii, discretionis, aequae ac caeli fortisque animi, unde illud Martialis:

Et pueri nasum rhinocerotis habent,

Et:

Nasulus sis usque licet, sis denique nasus.

Et Horatius:

Naso suspendis aduoco.

Unde Plinius, lib. XI, cap. XXXIII, docet novos mores subdole irrisivum nasum diceuisse; Graeci *mycterisnum* vocant: *myctis* enim est *nasus*, sicutque vertunt hic Septuaginta: hinc *nasuti* vox, ait Festus; sagacem notat, quod cuiusque rei odorem statim exploret, et prius sentiat quam inspexit; unde S. Hieronymus, *epist. 100*, scribens ad Bonasum nimis nasutum, aequae a nasutum, salse perstringens nimiam ejus crismam et celsissimam turris partem: «Dabo, ait, consilium, quibus absconditis possis pulchrior apparere: nasus non videatur in facie, sermo non sonet ad loquendum; atque ita et formosus et disertus videri poteris.»

*Secundo*, nasus sponse similis est turri Libani comparative, quoad summam et celsissimam turris partem: quia sicut eminebat omnibus vicinis



Libani arboribus, supra illas enim prospiciebat, et despiciebat moenia domusque Damasci: sic pariter nasus sponse eminet toto corpore omnibusque ejus partibus, ac supra eas eminens venientia partitur et despicit, vel dispiciet. Adde in turribus superne sæpe exstare, et foras prominere fenestellæ, vel domunculas instar nasi tectas, ad hoc factas, ut ex iis liberior sit in omnem partem excurbitor prospectus, quæ plane speciem habent nasi: sunt enim in culmine quasi in capite turris, ac sub ejus fronte declivi descensu instar nasi prominent, ut turris nasata vel nasuta esse videatur. Imo Romæ in columna Trajani et altera Antoniani imperatorum videmus superne peribola, vel moeniana cancellis circumdata, per quæ tota columna circumiri potest, ut in omnem plagam liberrime prospicere liceat.

Tertio, in colore, sicut enim turris candida elucebat inter virides arbores ramosque Libani; sic nasus sponse candidus inter crines flavos suum candorem ostendat.

Quarto, in officio speculandi, nasus enim a superciliorum confinio oriens, et quasi equali porrectus iugo, utramque oculorum aciem simul et discernit et munit; unde Cicero, lib. II *De Natura Deorum*: «Nasus, ait, ita locatus est, ut quasi murus oculis interceptus esse videatur: » pari modo turris Libani excubitoribus, ex ea prospicientes Syrorum adventum, contra eorum vim et insidias nuntiabat et protegebat: excubitores enim sunt quasi oculi civitatis et civium, qui despicunt eos qui veniunt, an sint amici, vel inimici. Porro nasi duo sunt officia, *primam* ut per eum respiremus; *secundum* ut per eum odorem, uti docet Aristoteles, lib. I *Hist. animal.* cap. XI; elephantum autem *promissus* pro naso est, illaque ingens et proluxa, quia eidem pro manu servit, qua cibum ori admovent, ait Aristoteles; insuper nasus aquilinus magni regni signum est, teste Platone, Aristotele et Plotarcho, qualem habuit Cyrus primus rex Persarum, qui vero nasum habent simum, uti habent delphini, lascivi sunt et petulantibus; unde Socrates, qui simo erat naso, a natura sic in luxuriam propensum fatebatur, sed se naturam visisse virtute assererat, teste Platone in *Symposio*: addit Aristoteles in *Physiognomis*: «Qui nasum *acutum* habent iracundi sunt, referuntur ad canes: qui *crassum*, segnes, referuntur ad boves: qui *rotundum* et obtusum, magnanimi, referuntur ad leones; sic et qui *aquilinum*, referuntur ad aquilam: » idem Aristoteles, lib. V *De Generat. animal.* cap. II: «Nares, ait, longius porrectæ, quales sunt catellorum Laconicorum, valent olfactu. »

Quinto, in rectitudine: sicut enim turris Libani erant recta et erecta ad perpendicularum, ut nihil in ea esset tortum vel curvum, sic et nasus sponse.

Rursum, in gravitate et majestate: sicut enim turris hæc pavorem injiciebat Syris latrunculis, sic nasus sponse gravis et aquilinus adulteros

et impios percellerat, et proci et se abigebat. Porro Chaldeus per *turrim Libani* accipiens arcem Sion, judicæ more suo sic verit: «Et princeps familiarum domus Juda similis est Davidi regi, qui edificavit arcem Sion, quæ vocatur *turris Libani*, quoniam omnes, qui in ea steterit, potest numerare omnes turres quæ sunt in Damasco. »

## PRIMUM SENSUS

## ADEQUATUS,

## De Christo et Ecclesia.

Nasus Synagogæ in fine mundi convertend ad Christum instar turris Libani erit ingens et exacta providentia, prospectio, discretio, quæ longe odorabitur et prospiciet omnes Damasci, id est diaboli et Antichristi sanguinem animarum sipientis (*Damascus* enim hebraice idem est quod *succus* vel *præda sanguinis*) insidias et conatus, eosque ingenti fortitudinis et magnanimitatis spiritu eludet et superabit: magnus enim nasus magni spiritum atrahit, ideoque magnanimitatis est index; unde hebreum *q̄n eph*, id est nasus, significat quoque iram et exandescitiam, hæc enim in naso rubente et fumante ostenditur, ac magnanimitatis est index; unde Luysius Legionensis per *eph*, sive *nasum*, accipit exandescitiam ac gravitatem oris, quia oritur ex animo magno et excelso; et R. Salomon per *eph* accipit totius faciei gravitatem, quæ maxime rehalet in fronte sponse. Sicut ergo Judæi olim ex turri Libani Syrorum e Damasco venientium molimina deprehendebant, eorumque consilia et insidias anteverentes eludebant; sic prorsus Judæi in fine mundi ad Christum conversi, ac præsertim eorum episcopi et prælati omnes Antichristi, pseudoprophetarum, hereticorum et politico-rum simulatos et adulterinos mores, et fictam fidem a veris et germanis christianorum moribus et fide orthodoxa sagacissime et certissime discernent; tanquam emunctæ et acutæ erunt naribus, ut eorum secreta quæ captant consilia, et subdola quæ contra christianos moluntur machinamenta, statim subolfaciant, præconcent, ac irrita reddant: ita Cosmas Damianus. Antichristus enim erit omnium hominum valerrimus, eloquentissimus, scientissimus, potentissimus, æquissimus, adeoque erit os et organum diaboli: quare mille dolos, fraudes et artes concinabit, quibus Judæos a Christo avertat, et ad se pelliciat, ut dixi *II Thessal. II*, et *Apocal. II*, et sequent. Quare ingenti naso, id est sagacitate, fortitudine et animo tunc opus erit Eliæ, prælati et judæis ab eo conversis, ut artes hæc detegant, discernant, declinent, confitent, dissipent.

Hinc rursum per *nasum* accipias Eliam et prælatos, præsertim Pontificem romanum et patriarcham Hierosolymitanum, qui pro suis Judæis acerrime se opponet Antichristo, ejusque fraudes solertissime olfaciet, illasque suis Judæis patefa-

ciat, ac contra eas ipsos omni studio animabit et armabit: sic pontifices romani quasi nasi Ecclesiæ, odorati sunt hæreses et technas Arii, Nestorii, Eutycheis, Pelagii, Priscilliani, Wilephi, Lutheri, Calvinii, easque condemnarunt et dissiparunt. Porro Cassiodorus, Beda, Philo, Anselmus, cæterique Patres more suo omnia hæc symbola, ut superius dixi, assignant prædicatoribus. Audi S. Gregorium: «In naso odoris discretio habetur; per *nasum* ergo discretio prædicatorum designatur, quia per eos nobis virtutum odores et viliorum foetores demonstrantur. Sed *nasus sicut turris Libani* existit, quia dum semel prædicatores aqua baptismatis lavantur, et quotidianis lacrymis a peccatis quæ contra Deum commiserunt, dealbantur, digni fiunt ut ad aliorum magis ac magis per fortitudinem erigantur. Sed *turris contra Damascum respicit*, quia peccatoribus semper sanctus quilibet prædicator contradicit: Damascus quippe *sanguineus* interpretatur, et peccatrici genti dicitur, *Isai. cap. 1, 16*: *Manus tuas plene sunt sanguine.* » Hinc Philo Carpathus per *nasum Ecclesiæ* accipit S. Paulum prædicatorem principem, qui altissime odoratus est divina mysteria, eaque a fœtoribus mundi sagacissime discretevit.

## SECUNDUS SENSUS

## PARTIALIS,

## De Christo et anima sancta.

Nasus animæ sanctæ instar turris Libani est ejus providentia, vigilantia, solertia et discretio, quæ utilia et noxia eminus prospicit, ac virtutum a vitio, inspirationum Dei a suggestionibus diaboli, spiritum charitatis a spiritu carnis solerter discernit, ita Theodoretus: Sponse nasus, ait, celsus est ac sublimis et celestem suscipit odoris suavitatem, sponse unguentum percipiens clamat, *Cantic. 1, 3*: «Post te in odorem unguentorum tuorum curremus: » idecirco comparata est turri, quæ in Libano sita est, et respicit Damasci civem, nam quia diabolus, ut asserit beatus Paulus, *II Corinth. XI, 13*, in angelum lucis transfiguratur, unguentique spiritualis speciem sumit, necessario sponse nasus erectus ac vigilans respicit faciem Damasci, ne decepta verum omittens unguentum, fallax et adulterinum sequatur. Et inferius: «Nasus tuus sicut turris Libani, quæ respicit faciem Damasci: » prospicit enim ne diabolus sub specie rerum divinarum te decipiat, et pro veritate mendacium obtrudat. Hæc Theodoretus. Et S. Ambrosius in *Psalm. CXVII, serm. 8, vers. 37*: «*Nares tuæ*, inquit, *sicut turris Libani* prospiciens faciem Damasci, eo quod unguentum veri sacerdotis, quod descendit de capite in barbam, hoc est, odor ille divinus, odor gratiæ spiritualis, qui de Patre in Christo erat, et sacramento incarnationis descendit in terras, ut omnia fusa replerentur unguento, amineat præcelsi potestate

judicii, et nares repleat animæ, ut bene olentia discernat et fetida: suavia sanctorum qui possunt dicere, *II Corinth. 1, 15*: *Christi enim bonus odor sumus Deo*, a fetidibus peccatorum. » Nares deinde comparans turri Libani subjecti: «*Hæc sunt nares sicut turris Libani*, præcelsæ supra mundum, ideo *prospicit faciem Damasci*, gentilem scilicet populum, odorans fidem ejus, cujus gratia delictorum suorum detergit foetorem. Facies igitur Damasci fides est gentium nullo obumbrata amictu, nullo adoptata vestitu, nuda ac libera, cælo magis intenta quam terris. Hanc speculantur et prospiciunt nares Ecclesiæ, quod suave in ea et odoratum est aspiratio et gratiæ colligentes. » Hugo usque S. Ambrosius.

Quocirca S. Antonius in via perfectionis primas dabit discretioni: audi S. Bernardum, serm. 3 in *Circumcis. Domini*: «Ne incurrat, inquit, qui currit, illuminari necesse est lumine discretions, quæ mater virtutum est, et consummatio perfectionis: hæc nimirum docet, ne quid nimis: atque hæc est octava dies, in qua circumcidi puer: quia discretio vere circumcidit, ut non plus, nec minus fiat: nam et qui nimis est fructum, boni operis abscondit, non circumcidit: sicut qui tepidus est, si minus facit. » Idem, serm. 49 in *Cant.*: «Discretio, inquit, omni virtuti ordinem ponit, ordo modum tribuit, et decorem etiam et perpetuitatem. Denique ait: *Ordinatione tua perseverat dies, diem, Psalm. CXVII, 91* virtutem appellans. Est ergo discretio non tam virtus, quam quedam moderatrix et auriga virtutum ordinatrixque affectuum, et morum doctrix: tolle hæc, et virtus vitium erit, ipsaque affectio naturalis in perturbationem magis convertetur, exterminiumque nature. » Idem in *Resurrect. Domini*, serm. 2: «Sed cum uterque aderit, videlicet et compassionis affectus et zelus justitiæ, necesse est ut adsit spiritus discretions, ne forte cum oporteat humo exhiberi, ille procedat, et indiscretio ipsa confundat universa. Habet itaque mens nostra tertium, scilicet spiritum discretions: ut miscens apte temporibus tempora, opportune emularet, et nihilominus ignoscere sciat. » Vide Cassianum tota Collat. II, ubi inter alia ait, cap. x: «Vera discretio non nisi vera humilitate conquiritur; cujus humilitatis hæc erit prima probatio, si universa, non solum quæ agenda sunt, sed etiam quæ cogitantur, seniorum reserventur exemplis, ut nihil quis suo judicio credens, illorum per omnia definitionibus acquiescat, et quid bonum vel malum debeat iudicare, eorum traditione cognoscat, etc., nullatenus enim decipi poterit quisque, si non suo judicio, sed majorum vivat exemplo. »

Porro analitice nasi et turris, quæ paulo antè recensui, optime competunt discretioni: hæc enim primo, proportionaliter debet esse major omnibus hominis actibus, quia de iis iudicare easque discernere et discernere debet, ut bonum e malo, et e bono id quod melius est, seligat. Secundo, com-



parative, quia discretio non tantum actibus hominis, sed et cæteris virtutibus eminent oportet, ut eas diiudicet, ut necessariam non necessariam, utiliore minus utili, meliorem minus bonæ anteferat. Hæc respicit contra faciem Damasci, id est diaboli animarum sanguinem sidentis, ut ejus machinationes, illusiones et conatus odoretur, eludat et irritos reddat. *Tertio*, in candore, quia necesse est ut pura ab omni affectu impuro, totaque candida sit: ita Justus Oregelianus: «Nasus Ecclesie», inquit, illi sunt qui odorem justitie (qui est in Christo) percipientes, ad cordis interna trajectant. Hi qui in magna virtute consistunt, sicut turris Libani disponuntur: Libanum autem candorem esse jam superius diximus; horum proceritatis candor respicit contra Damascum, quia sapientia eorum, quæ ex Deo est, illuminat mundum. » *Quarto*, in officio speculandi; discretio enim sagaciter odoratur latentia vitia vel virtutes: quocirca assidue respicit contra faciem Damasci, id est contra appetitum carnis et sanguinis, ut quidquid carnis et carnalia olet, illico respiciat: omnis enim fere tentatio hominis oritur a carne et concupiscentia, nam Damascus hebraice idem est quod sanguinis saccus, vel potus, vel osculum, vel præda. Discretionis ergo officium est solerter discernere an id, quod ipsi in mentem venit, suggerat a carne, an a spiritu, ut illud refuset, hoc acceptet. *Quinto*, in rectitudine, discretio enim debet esse recta, utpote quæ virtutes omnes dirigit et rectas efficit: quare rectissima ejus intentio sit oportet, ut non nisi Deum Deique legem, gratiam et gloriam aspectet.

Symbolice Aponius: Turris Libani, id est turris, inquit, est humanitas Christi, quæ suavissimos virtutum odores, quibus victorum factores repellamus, naribus mentis nostræ aspirat. «Damascus, ait Aponius, idem est, quod osculum sanguinis vel potus sanguinis. Cum vero diabolus deceptis hominibus creenta amicitiarum tuarum oscula sanguinis propinaret, vel pocula, fecit sibi Deus omnipotens turrim suavissimi odoris, ubi nullus peccati reperitur factor, per carnem absumptam de Virgine Maria, unde respiciendo destrueret diaboli regnum. Unde nihil videntur nasus Ecclesie intelligi illi, quibus major zelus et ardentior fides in destructionem idololatriæ inest. » Talem nasum, instar turris Libani, habuit S. Magdalena, id est turris (magdala enim, sive mygdal hebraice est turris), quæ futura prociptens penituit, presentia calcavit, Christo se consecravit: ideoque «ob sedulitatem et ardorem fidei, turris nomen accepit, et prima ante apostolos Christum videre meruit resurgentem,» ait S. Hieronymus, epist. 45 ad Principiam item, epist. 439 ad eandem, sub initium: «Maria Magdalena, ait, plorat ad crucem, danguenta parat: querit in tumulo, hortulanum interrogat, Dominum recognoscit, pergit ad apostolos, reperit nuntiat; illi dubitant, ista condidit. Vere

«virgo, vere turris candoris et Libani, quæ prospicit faciem Damasci, sanguinem videlicet Salvatoris (quasi menses, id est procuratoris nostre salutis ad sacci penitentiam provocantem.)»

## TERTIUS SENSUS

## PRINCIPALIS,

## De Christo et B. Virgine.

Physice B. Virgo naso fuit majore: audi S. Epiphanium apud Nicephorum, lib. III *Histor.* cap. xxiii, formam et figuram Virginis depingentem: «Nasus longior, labia florida et verborum suavitate plena, facies non rotunda et acuta, sed aliquanto longior: manus simul et digiti longiores.»

Ethice B. Virgo nasum habuit instar turris, quia summa pollebat prospensione et discretione: rursus B. Virgo prospiciebat futura in oculis sanctorum gaudia, et in gehenna impiorum tormenta; ideoque omnia prospera et adversa hujus mundi spe futurorum bonorum contemnebat, aliosque contemnere docebat. Audi Hallgrimum: Nasus iste est discretio Deipare, quæ et presentit diaboli malitiam, et a longe quasi de speculo prævidet, ut sicut turris pro nobis se fortiter opponat, et dicitur sila in Libano, ut ostendatur, quod eandem virginitalis suæ, tanquam pede valeat serpentis caput conterere. «Portis, ait Rupertus, est iste nasus discretionis sicut turris Libani, dum rite spernendo visibilia fortiter resistit, neque frangitur visibilibus incommodis, juxta illud, *Psalm.* lxx, 4: *Deturisti me, quia factus es spes mea, turris fortitudinis a facie inimici.* Quomodo turris ista respicit contra Damascum? nimirum sensui ejus sensum habendo contrarium, juxta illud, *Rom.* vii, 5: *Qui enim secundum carnem sunt, quæ carnis sunt sapient: qui vero secundum spiritum, quæ sunt spiritus sentiunt.* » Addit Rupertus Damascum representare servum captum et naso mutilatum, sicut Judæa privata est urbe Hierosolyma et templo, quasi naso a Romanis; ac proinde illi similem esse hominem, qui caret discretione, hic enim adeo deformis est, ac est homo, qui nasus præcisus est. Hæc opprobrium Damasci respiciens anima sapiens, nasum, id est discretionem in omnibus conservat.

Symbolice S. Bernardus, *serm. 4 super Salve Re-Sigina*: «Tu, inquit, Domina, nasus es speciosus, ad quam dicit sponsus, *Cantic.* vii, 4: *Nasus tuus sicut turris Libani.* Nasus duo habet foramina, per quæ spiritum a capite emittit: ita tu, Domina, virginitate et humilitate tua de celo eduxisti Filium Dei, spiritus oris nostri, dicente Propheta, *Thren.* iv, 20: *Christus Dominus, quippe, qui ut spiritus oris nostri charitate calefacit, cupiditatem nostram refrigerat, ad bonam nos voluntatem movet, fide justificat; tu ergo nasus Ecclesie similis es turri, celsa videlicet dignitate,*

firma gravitate; turris es Libani: Libanus mons, qui dicitur dealbatio, altam præ omnibus significat innocentiam tuam.»

VERS. 5. CAPUT TUUM UT CARMELUS: ET COME CAPITIS TUI, SICUT PURPURA REGIS VINCTA CANALIS.

CAPUT TUUM (Hebraea et Septuaginta addunt super te) UT CARMELUS, — Arabicus, *caput tuum pingue, vel crassum sicut mons Carmeli*; Aben-Ezra et Pagninus, *caput tuum rubrum est*, e capillis rufis sicut coccinum: sic enim Carmelus a Septuaginta et Nostro vertitur coccinum, II *Paral.* ii, 7. Melius Luysius Legionensis, *q. d.* Sicut Carmelus eminet ceteris Judæe montibus, sic caput tuum, o sponsa, tuque ipsa emines ceteris feminis. Carmelus mons est in Phœnicia, vinearum et fructuum omnium fertilitate nobilissimus: ita Theodoretus. Alcazar et Gisterius per Carmelum accipiunt coronam ex floribus Carmeli, quæ sponse caput coronabatur; sic, cap. v, 11, Christi caput vocavit aurum optimum, id est corona ex auro optimo redimitum. Sic sensus est, *q. d.* Caput tuum ut Carmelus, id est, bello in caput tuum quadrat ex floribus Carmeli contexta corona, ad representandum scilicet hoc caput Carmelo monti elegantè comparari.

## PRIMUS SENSUS

## ADEQUATUS,

## De Christo et Ecclesia.

Per caput Synagoga multi accipiunt Christum, qui instar Carmeli per gratiam altissimus est, amoenissimus et fertilissimus: ita Cassiodorus, Beda, Anselmus et alii. Addit S. Gregorius (quem alii sequuntur): «In Carmelo quippe Elias orans obtinuit pluviam, et nos in Carmelo orantes, pluviam impetramus, quando in Christum credentes, Christum desideramus, et a Patre irrigationem gratiæ suscipimus, quam rogamus.» Addit Justus Oregelianus: in Christo quasi Carmelo justè habitaculum et sapientiæ percipiunt alimentum. Addit et Pagninus, Carmel idem esse quod agnus circumcisus et occisus, qualis est Christus.

Verum Christus generale est caput et commune tam Ecclesie quam Synagoga; particulare vero caput Synagoga ad Christum in fine mundi convertendam erit Elias, qui uti olim in monte Carmeli mira sanctitate, orationis efficacia, familiaritate cum Deo et miraculorum gloria resplenduit, ibique religiosam familiam virorum Deo servientium, qui in libris Regum filii prophetarum vocantur, instituit; unde ab hoc monte religiosi Carmelitas, quasi Eliæ posteri nomen acceperunt, sic pariter idem Elias in fine mundi eadem et majora ibidem faciet, ac religiosos omnis generis in aciem contra Antichristum producet: ita Alcazar.

Elias ergo comparatur Carmelo, primo, quia in

eo orationi vacans versabatur cum Deo. *Secundo*, quia illum montem incolebat, ibique monasteria fundabat, ut Carmelum occupasse et possedisse videretur; unde S. Hieronymus, epist. ad Paulinum, de Monachis agens: «Noster, ait, princeps est Elias, noster dux est Elias, nostri duces filii prophetarum.» *Tertio*, quia Elias hirsutus, comatus et coma quasi coronatus incedebat, ut patet IV *Reg.* i, 8, sicut mons Carmelus frondibus et ramis arborum comatur et coronatur. *Quarto*, quia Elias eminebat ceteris prophetis, ut sicut Carmelus eminet ceteris Judæe montibus, unde Judæi etiamnum licet peridi, hoc habent axioma: «Elias veniet, ille nobis omnia legis dubia resolvet; ille ostendet nobis Messiam:» quare illo sub finem mundi redeunte, ac ostendente Christum a Judæis occisum fuisse verum Messium, Judæi penitentiam agent et in Christum credent. *Quinto*, quia sicut Carmelus est amoenissimus et fertilissimus, unde abili in verbis, ut ager valde fertilis, hebraice vocatur Carmel: sic Elias gratia et zelo planus, ferax erit virtutum et bonorum operum, omnesque Judæos ad Christum convertet, ut Synagoga competat illud, *Isai.* xxxv, 2: «Gloria Libani dicta est ei, decor Carmeli et Saron:» vide ibi dicta. *Sexto*, mons Carmeli erat quasi arx et asylum contra irruentes hostes: sic et Elias fidelibus asylum fuit contra Achab, Jezabel et idololatrias, talisque erit contra Antichristum et antichristianos in fine mundi; unde Eliseus ei, dum rapereur in celum, succlamabat, IV *Reg.* ii, 12: «Pater mi, pater mi, (tu es) currus Israel, et auriga ejus.» *Septimo*, Elias in monte Carmeli certans cum quadringentis sacerdotibus Baal, eosque vincens, per ignem a celo dicitur, qui summa sacrificium consumpsit, ad unum omnes occidit, ac avilam unius Dei fidem, cultumque restituit, III *Reg.* xviii, 19 et seq.: idem proprus faciet in fine mundi, ut patet Apoc. xi, 5: «Et si quis, inquit, voluerit eos (eos, scilicet Eliam et Enoch) nocere, ignis exiet de ore eorum, et devorabit inimicos eorum: et si quis voluerit eos ledere, sic oportet eum occidi;» unde *Ecclesi.* xlviii, 1, inter multa applaque Eliæ elogia, hoc primum assignat: «Et surrexit Elias propheta, quasi ignis, et verbum ipsius quasi facula ardebat.» Et concludens, vers. 9, subjicit: «Qui receptus es in turbine ignis, in curru equorum igneorum. Qui scriptus es in judicis temporum (sub finem mundi) lenire iracundiam Domini: conciliare cor patris ad filium, et restituere tribus Jacob. Beati sum, qui te viderunt, et in amicitia tua decorati sum.» Ob has ergo analogias et rationes Elias in fine mundi rediturus et Judæos conversurus, hic caput Synagoga vocatur, et Carmelo comparatur; unde Chaldaeus vertit: «Rex qui constitutus est super te in principio, justus est sicut Elias propheta, qui zelo zelatus est pro Domino cæli, et occidit prophetas falsos in monte Carmelo, et



convertit populos domus Israel ad timorem Domini. »

Porro Aponius per caput instar Carmeli accipit reges Romanorum Christo subiectos.

Rursus Honorius in choris castrorum Synagoge per acies et ordines distribuendis insistens : Nonus, inquit, ordo est summorum pontificum, de quibus dicitur : « Caput tuum ut Carmelus, » quia habent scientiam circumcisionis (hoc enim significat Carmel) scilicet ut spiritualem et christianam, que in resonandis vitis consistit, a carnali et iudaica, que in amputanda præputii carne sita erit, secerant et separent.

#### SECUNDUS SENSUS

##### PARTIALIS,

De Christo et anima sancta.

Animæ sanctæ caput est mens sancta et bonis omnibus referta, ait Theodoretus, que scilicet virtutibus amena, et oratione et conversatione excoleta, et bonorum operum ferax est ut Carmelus. Audi S. Gregorius : « Quia sicut a capite membra, sic a mente omnes cogitatus nostri disponentur ; Carmelus autem scientia circumcisionis interpretatur ; caput ergo sponsæ ut Carmelus esse perhibetur, quia quelibet sancta mens novit qualiter digne circumcidatur ; novit quia nihil est quicquid in corpore agitur, si mens immunda fuerit ; que templum Christi si efficitur, ab ipso inhabitatur. »

Apte mens comparatur capiti et Carmelo, quia sicut caput sensum et motum, ac spiritus animales influit in subjecta sibi membra ; ac sicut Carmelus suam amoenitatem, frondes, flores et fructus communicat subjectæ sibi regioni, sic et mens suum vigorem, virtutem et gratiam inspirat omnibus animæ potentiis, sensibus et viribus sibi subditis ; ideoque hebraice est, *caput tuum super te sicut Carmelus, q. d.* Sicut caput est super membra et Carmelus super terram, quam irrigat et dat, sic et mens tua est super omnes animæ vires, easque regit, imo irrigat, et bonis omnibus beat.

#### TERTIUS SENSUS

##### PRINCIPALIS,

De Christo et B. Virgine.

Beata Virgo per Christum et post Christum est caput fidelium Ecclesie, eos irrorans, nutrienda, recreans, protegens ut Carmelus ; unde carnalitate primi post Christum assectæ Eliæ, B. Virginem patronam sibi asceverunt, ac in ejus honorem ecclesiam in monte Carmelo edificarunt, indeque Fratres B. Virginis de monte Carmelo nuncupati sunt, ut testatur Trithemius, lib. De Laudibus Carmelitani Ordinis, capite vii. Addit Thomas Waldensis gravis theologus, lib. De Sacram. tit. 3. cap. xxxviii. et alii, carnaliterum or-

dinem inchoatum jam tuam a tempore apostolorum in monte Carmelo (et argumento est nomen ipsum) in ecclesia, que prima omnia B. Virginis in terrarum orbe dicata sit, deinceps vero numero et hominum et domiciliolorum per totam Palestinam multiplicato, irrurientibus Saracenis dispersam esse, ac dissipatam ; sed iis rursus ejectis, anno salutis humane millesimo ferme et centesimo reffloruisse. Videatur Paulus Mauricia, lib. De Origine religionum, cap. xxx, qui inter cætera ait, Honorium IV pontificem hoc nomine carnaliterum a Carmelo inditum, eis confirmasse sub anno Domini 1217. Insuper B. Virginem apparuisse P. Simoni generali ordinis, viro sancto, eique oranti habitum candidum dedisse, dixisseque : « Accipe hoc scapulare a me tibi, tuoque ordini datum in signum congregationis meæ. »

Audi Christum Dominum, B. Virginis caput mystice describentem S. Bridgete, lib. V. Revelat. in fine, Interrog. 9 : « Caput tuum fuit quasi aurum fulgens et capilli quasi radii solis : quia tu mundissima virginitas, que est in te quasi caput omnium virtutum et continentia omnium illicitorum motuum, placuerat et fulserunt in conspectu meo, cum omni humilitate ; ideo merito vocaris coronata regina super omnia que creata sunt : regina, propter munditiam ; coronata, propter excellentem dignitatem. Frons tua fuit incomparabilis albedinis, significans verecundiam conscientie tue, in qua plenitudo est humane scientiæ, et dulcedo divine sapientiæ lucet in ea super omnes. » Porro censent nonnulli Salomonem hic uti comparationibus in speciem tam disparibus et enormibus, quibus oculos sponsæ comparat piscinis, natum turri, caput Carmelo, ut significet enormitatem excessus B. Virginis supra omnes feminas, q. d. Quantum piscine superant oculos hominis vulgaris, quantum turris est major naso et Carmelus capite, tantum B. Virgo, ejusque oculi, nasus et caput in dignitate, gratia et gloria excedunt omnes feminas, imo omnes homines et angelos, adeoque creaturas universas, omniumque oculos, nares et caput. Hinc ipsa ab Isaiâ, cap. ii, vers. 2, vocatur *mons in vertice montium*.

Symbolice Guilielmus hæc refert ad mysterium circumcisionis Christi : Carmel enim idem est quod scientia circumcisionis, q. d. Caput tuum ut Carmelus, id est, mens tua, o B. Virgo, habebat scientiam circumcisionis, ut Christum circumcideres, etsi ex lege ad id non obligareris : « Bene sciebas, inquit, o pia mater, cur populo Dei datum esset remedium circumcisionis, et tamen me, quem sine concupiscentia, ac per hoc non in peccatis, singulariter concepisti, carnali circumcisioni, quasi ab originali labe purgandum, subdidisti ; neque hoc insipienter faciebas, sed divine inspirationi per spiritum edocta serviebas : quippe oportuit me datorem legis, factum ex muliere fieri quoque sub lege, et hoc dispo-

salorie, ut eos qui sub lege erant, redimerem. »

Et COMA CAPITIS TUI, SICUT PURPURA REGIS VINCTA (minus recte Cassiodorus, S. Gregorius, Rupertus et alii legunt *juncta*, etsi fere idem sit sensus) **CARNALITUS**. — Hebræa, et tenuitas capitis tui ut purpura : tenuitas, id est tenues capilli et cincinni ; Tigrina, et subtilis evaporatio (id est crines subtiles qui e capite oriuntur et evaporantur) *capitis tui regio purpure similis est, quæ in canalibus (infectorum) ligata est* ; Arabicus, *ligata in amphitheatreis* ; Septuaginta, *plexus* (S. Ambrosius, in Psal. cxviii, serm. II, ornatus capitis tui sicut purpura. Rex ligatus in transcursibus, id est in canalibus, per quos aqua transeunt ; sic et Pagninus ; Isidorus clarus, *rex ligatus crinibus*. Hebræum רִשְׁתֵּי רֵאשִׁית *rehatim*, et canales significat et trabes, quæ transeunt ab uno pariete ad alterum, sicut canales ab uno loco ad alterum ; unde Cosmas Damianus verit, *rex ligatus in laquearibus*, id est, inquit, Christus alligatus trabibus crucis ; Vatablus, *coma capitis tui est ut purpura, et est velut rex stipatus canalibus*, id est habitans iuxta canales, ubi sunt aquæ ; quod maxime commendabile erat in Terra Sancta : in ea enim utpote sicca, summo in pretio erat terra irrigua : ita Vatablus ; sed hoc alienum et longe petitum videtur, ut et illud aliorum, qui vertunt, *rex stipatus circumventibus*, scilicet militibus. Coma sponsæ comparatur purpure, que vincta sive ligata est in canalibus, ut si quid sordium ex tinctura illi adhaerescat, aqua continuo per canales decurrente ablatur, aut potius ut jam tincta in vasis tinctoris rursus, magisque tingatur in canalibus, per quos liquor purpureus decurrit in concham, sive vas tinctorium ; vasa hæc Plinius, lib. IX, cap. xxxviii, vocat *cortinas* : forte etiam vasa hæc canales hic vocantur, quod cava essent et longa instar canalium.

Sensus ergo est, q. d. Coma sponsæ rubicunda est, nitens et splendens instar purpure regie recens tincte, imo dibaphæ, id est bis tincte, ideoque vividi et fragrantis ruboris : ita passim interpretes. Audi Genebrardum et Luyssium : « Comparat sponsæ comas purpure pretiosissimæ, pulcherrimæ, maximeque recentis, quam tinctoris adhuc sicant regibus, in summis ædium canalibus, vel quas tingunt in suo officio tubis, hisdemque tubis atque canalibus, in quibus purpureus continetur color illas alligatas tenentes, quomelius colore suscipiant. » Aliter Sanchez, qui per canales accipit fascias sive funiculos aureos vel argenteos, qui instar canalium et aquæ per canales decurrentis candicant et candore argenteo collucent. Unde et in Thalmud, cap. III De Agno Paschali, argenteæ fasciæ vocantur *rohate hachaseph*, id est *canales argenti*. Addit Gislerius villas vocari *canales*, quia dum adstringunt et premunt fluitantes capillos, efficiunt ut quidam quasi rivulus et canalus defluentium comarum per caput decurrat : sic sen-

sus est, q. d. Capilli sponsæ fuvi sunt sicut purpura, et aureis sive argenteis quibusdam tenuis vel vittis illicantur, non secus ac regie tunicæ splendidibus fasciis, aut rectis, aut transversis ornari solent. Non dubium est comas sponsæ non fuisse incompositas, sed decore pexas et aureis fasciis vittivæ colligatas ; sed simplicius sic comparationem instituas : Comæ sponsæ reginæ fasciis aureis sericivæ ita eleganter connexæ sunt, sicut purpura regis funiculis byssiis canalibus alligatis.

Porro quod Septuaginta, Pagninus, Vatablus, Cosmas et alii vertunt, *rex ligatus in transcursibus*, Theodoretus et ex eo Titelmannus sic explicat, q. d. Coma sponsæ similis est regi corona regia coronata, ac purpura induto, quæ plicaturas habet et strias instar canalium, iisque quasi sulcis apte coaptata et distincta est. Coma sponsæ belle crinibus intortis coronata est, plicata et striata ; pulchra ergo est tum ex colore, quia purpurea ; tum ex religatione et compositione, quia eleganter vittis vel fasciis aureis religata, flexa et plexa est. Denique purpure color est color sanguinis ; unde Plinius, lib. IX, cap. xxxviii : « Laus el (purpure), inquit, summa color sanguinis concretis suspectu refulgens ; » unde Homerus sanguinem vocat *purpureum*, et eum secutus Virgilius :

Purpuream vomit ille animam :

anima enim, id est vita, in Scriptura dicitur esse in sanguine, imo nonnulli philosophi censuerunt animam non esse aliud quam sanguinem, teste Aristotele, lib. I De Anima.

#### PRIMUS SENSUS

##### ADÆQUATUS,

De Christo et Ecclesia, sive Synagoga.

Caput Synagogæ ad Christum convertendæ erit Christus et post Christum Elias, ut dixi ; comæ ergo hujus capitis erunt viri religiosi et zelosi, discipuli et assectæ Eliæ : sicut enim capilli oriuntur ex capite, illudque ornant et protegent, sic hi ex Eliæ disciplina et spiritu prodeunt, eundem decorant, defendunt, adjuvant et propugnabunt contra Antichristum et antichristianos ; ideoque ab eo occidentur, et sanguina suo quasi martyrii purpura tingentur et decorabuntur. Hæc autem sanguinis purpura similis erit sanguini, qui in passione sua purpuratus est Christus, imo ex eo omnes suam vim, colorem et decorem haeriet, perinde ac si quingue Christi vulneribus velut canalibus alligata, hisdem rubricata et purpurata foret. Egregii ergo fortissimique et martyres futuri in fine mundi Christo regi, cum coma capiti, per fidem et charitatem juncti, cum comæ capiti, per fidem et charitatem juncti, et jusque sacris vulneribus velut canalibus per affectum et meditationem alligati, ex eis purpuram, id est robur et decorem martyrii sugent et imbibent : ita Alcazar, Cosmas Damianus, Hono-



ris, Delrio et ceteri initio capitis citati; sic et per comam purpuream S. Gregorius accipit desiderium martyrii; sic et Justus Orgelitanus et Apolinus, qui et addit *canales* significare exemplum virtutis martyrum, quod ad alios transmittant.

Huc facit versio Septuaginta, *rex ligatus in transversalibus*; Cosmas, in *loquoribus*, g. d. Christus ligatus trabibus crucis, ex his quasi canalibus stillat in nos purpuram sanguinis sui, ac per illum nos roborat ad martyrium, ut eodem æque ac ipse sanguine nostro purpuremur; Septuaginta ergo hic clare mysterium crucis Christi significant, dum dicunt *comam sponse concolorem purpureo*, causamque subjiciunt, quod rex illigatus, imo clavis affixus sit supra comam Sulamitis, puta sponse, et quod ex vulneribus illius per canales quinque cruor defluat, atque eorum fluxum totum Sulamitis supra eruat excipiat. *hec ligatus in canalibus*, seu *canalibus*, nimirum rex cum quinque sanguinis canalibus promanantibus ex plagis suis, supra crucem est amoris vinculis adstrictus et clavis tribus confixus, erumpitque ex plagis omnibus purpura, qua Sulamitis cæsaries ejusdem, id est religiose Ecclesie devotionem representans, penitus imbutur. Deservit huic considerationi mirabiliter pia quedam sculptura, que ponti D. Magdalenam ad crucis pedes, cum amplectentem delectam caput, atque ita ut Christi defluens sanguis ejus exsillamentum inficial, purpure nimirum Tyrie colore: ita Alcazar.

Tunc ergo pro Christo Jesu salvatore et duce suo, fortiter usque ad mortem cum Elia contra Antichristum inter alios religiosos certet, et spero certabit Societas Jesu, ac multos in aciem producet fortissimos heros, qui pro Jesu suo libentes et exsultantes occumbent, ac martyrii laurea purpureabuntur, ut fertur prædixisse B. Theresiam. Ita S. Laurentius, S. Vincentius, S. Sebastianus, ceterique martyres, Christi patientis consideratione, exemplo, robore et grada non tantum fortiter sustinerunt, sed et ardentem siferunt martyrium et tormenta atrocissima, ut Christo vices, quas poterant, redderent, ac sanguinem sanguini, amorem amori, mortem morti rependerent. Quare per *purpuram regis* intelligi passionem Christi docent Theodoretus, Beda, Rupertus, S. Thomas, Honorius, Haligrinus: jam vero hec martyrum corona mire Christum ceu coma caput, comit et exornat.

Porro quam apte religiosi comparantur capillis ostendi, cap. iv, vers. 8, ad illa: «Capilli tui sicut greges tonsarum.» Fasciæ vero vitæ, quibus religiosi alligantur, sunt charitas, obedientia et regularis disciplina, que omnes alligat et consociat. His apte compelli hebreum *וְהָיָה לְךָ*, id est *venitas*: ipsi enim ex volu elegerunt paupertatem et humilitatem, obediens Christo dicenti, *Matth. v, 3*: «Beati pauperes spiritu; quoniam ipsorum est regnum celorum:» ita S. Anselmus.

His etiam congruit, quod vertunt Septuaginta, *rex ligatus in trabibus*, quia sicut Christus fuit rex in cruce vincendo et dominans peccato, gehennæ et diabolo, sic pariter religiosus cum Christo crucifixus est rex dominans sibi, vitis, affectibus, totique mundo, uti docet S. Chrysostomus, tract. *De Comparat. regis et monachi*, et ex eo noster Hieronymus Platus, lib. II *De Bonis stat. relig.* cap. xvi.

Huc facit versio Chaldaei: «Et pauperes populi, qui ambulabant apud principem, hinc et inde, eo quod egeni sunt, futurum est ut induantur purpura, sicut indutus est Daniel in civitate Babyonis, et Mardocheus in Susa propter meritum Abrahæ, quem regem constituit ab initio in dominatorem sæculi; et propter iustitiam Isaac, quem ligavit pater ejus, ut offerret eum; et propter dignitatem Jacob, qui decortieavit vires in canalibus.» Hinc et Cassiodorus ac Beda per *purpuram in canalibus* accipiunt sanctos in humilitate defixos, in qua æterni regis purpura infingitur, cui sancti quinque humilitatem sibi Redemptoris imitando passionum illius conformes fieri satagunt, quatenus in purpure dignitatem vertunt et laborantes pro Christo, cum Christo et coronari merentur. *Vincta* autem hec purpura esse dicitur, quia eorumdem corda fixa sunt et stabilita in timore et amore Redemptoris sui, nec unquam a charitate ejus separari possunt. Hæc quoque hec aptari cardinalibus romana Ecclesie, hi enim velut *coma purpurea* ornant caput Pontificis, ideoque purpuram gestant, ut hæc illos moneat sanguinem pro Christo profundere, si opus sit, atque in fine mundi cum Pontifice contra Antichristum certantes vere profundent, ut olim profuderit S. Laurentius S. Cyriacus aliique primi cardinales cum S. Sixto, Marcello, Cornelio, Urbano, cæterisque primis pontificibus.

#### SECUNDUS SENSUS

##### PARTIALIS,

*De Christo et anima sancta.*

*Coma anime purpurea* est copia piarum cogitationum et affectionum, ac presertim desiderium mortificationis et martyrii, que ipsa haurit ex guttibus sanguinis a Christo in cruce stillantibus, quas ipsa meditando assidue bibit et haurit; ipsa ergo ceu coma Christi purpurati, ac coque tota velut a capite dependens, et. vulnereum ejus canalibus per contemplationem illigata, dilectionis Dei et proximi, ac martyrii dibaphe refertur, ac sinitur ad alia cogitando divagari et diffundere. Unde S. Ambrosius in *Psalm. cxviii*, serm. 17: «Ipsa, ait, tanquam bene merita regina Christi sanguine coronatur, sicut scriptum est, *Cantic. vii, 5*: *Et ornatus capitis tui sicut purpura*. Sanguis Christi purpura est, que inficit sanctorum animas, non solum colore splendens, sed etiam potestata

qua reges facit et meliores reges, quibus regnum docet æternum:» sic et Theodoretus, Honorius, Rupertus. Audi et tres Anonymos apud Theodoretum: a *Coma capitis tui sicut purpura*, Christi doctrina videlicet rationum et morum nexu contexta, tanquam regis indumentum est animi tui amictus, in quo ille perturbationibus dominatur, et est *rex vinculus in transversibus*, hoc est, nulli subiectus perturbationi, sed divina illius quam diximus doctrinæ funiculo ligatus in transcursibus presentis vitæ, na rerum sensibilibus et caducærum fabrico prolatur.

Porro passioni Christi mens pia funiculo amoris se alligat, itaque vicissim Christus eodem illigatur; unde Sanchez, per *canales* accipiens funiculos, docet animam piam per sanctas de Christi passione cogitationes, et meditationes, eundem Christum non invitum, sed volentem ita sibi illigare, ut aliud cogitare, velle, desiderare nequeat, ac vicissim Christus ab ejus cogitatione et amore separari se non sinat; quomodo enim mitissimum Christi sponsi animum non capiant, ac teneant desideria, que ad ipsum unam aspirant? Quomodo non ligent illa vincula, quibus suas cogitationes sponsa fidelis ita continuit, ut omnem sibi nisi de sponso cogitandi facultatem præcedit? O ergo felicia religiosorum, id est religatorum vincula, quibus animi motus atque studia ligantur, ne a Deo dilapsa abeat in diversa! sibi enim nisi rumpantur vincula, Christum ligant, tanquam sponsum, et regem omnino suum.

#### TERTIUS SENSUS

##### PRINCIPALIS,

*De Christo et B. Virgine.*

Physice coma capitis B. Virginis erat flava purpureascentis, uti superius dixi ex S. Epiphonio et Nicephoro. Ethice coma, id est, cogitationes Virginis essidue tingebantur memoria et compassione *purpure regis*, id est passionis Christi: qua de causa ipsa vero exstiffit martyr. Sensus ergo est, ait Haligrinus: Mens tua prudenter circumcisa, et cogitationes tue tinctæ in sanguine dominice passionis, sic affectæ semper fuere, quasi recentem viderent sanguinem de vulneribus profluentem. Fasciulus myrrhæ morabatur inter ubera ejus, donec assumpta fuit ad gaudium, quod omnem dolorem absorpsit.

Pleuius Guilielmus: «*Purpura regis*, inquit, est proprio rubens sanguine caro Redemptoris; caro illa sacrum verbi indumentum erat, ex quo *Verbum caro factum est*, et habitavit in nobis, *Joan. 1, 14*; sed tempore passionis in regalem purpuram hominibus et angelis adorandam, in proprio sanguine tincta est; unde, *Philipp. ii, 9*, Apostolus propter passionem mortis, ei dicit datum a Patre nomen, quod est super omne nomen; ut in nomine ejus omne genua flectatur caelestium, terrestrium, et infernarum. Dum autem sacra illa caro, quam sibi

de Virgine propitia Veritas sumpserat, per efficiendo pretio redemptiois humane clavis et lancea federatur, juxta veridici Simeonis prophetiam, pie matris animam pertransibat gladius, *Luce. ii, 35*. Quot vulnera filius accipiebat in carne, tot pia mater accipiebat in corde; quod quatuor vel tres clavi et una lancea faciebant in carne filii, hoc unus ille gladius faciebat in anima matris. Rubebat caro filii sanguine passionis; rubebat maternæ ille cogitationes, ut ita dicam, sanguine compassionis; bene ergo illi dicitur, *Cant. vii, 3*: *Coma capitis tui sicut purpura regis*. Quod autem additur, *vincta canalibus*, significat quod tincturam illam regalis indumenti, que facta est passione, illico secuta est abundantia gratiæ ejus, quæ in sacris litteris per aquam signatur. Vide dicta cap. v, vers. 9, ad illa: «Vulnerasti cor meum, soror mea sponsa, in uno crine colli tui.»

Denique Philo Carpathiorum episcopus ex Septuaginta nove vertens, *rex trinitas in excursibus*, explicat de Christi et oculis per B. Virginem in terram et infernum excursus, ac in caelos recursus: «E caelo namque, inquit, excurrit in terram tanquam sponsus de thalamo virginali progressus in orbem; et usque ad inferos descendens, mortem destruxit, et prædam tulit inferni. Ipse solus omnino terram in progressibus suis ac gestibus, que pro salute nostra non ullius necessitatis vinculis coactus egit, sed immenso charitatis ardore victus et ineffabili magnitudine suæ bonitatis ad hæc mortalia progressus et dolorifica voluntarie accessit; inque nos sua immortalitate donaret, nostra est mortalitate vestitus, nusquam nos deserens, nullibi destitutus, sed ubique fovens ac tuens: ait enim, *Matth. xxviii, 20*: *Eccc ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi*. O incomparabilem vini amoris! o summam bonitatem!»

#### VOX ECCLESIE

*Ad Synagogam jam in Christum credentem.*

**VERS. 6. QUAM PULCHRA ES, ET QUAM DECORA, CHARISSIMA, IN DELICIIS!**

**QUAM PULCHRA ES, ET QUAM DECORA, CHARISSIMA, IN DELICIIS!** — Ex Hebræo cum Pagnino vertas, *o quam pulcherrima, et quam dulcissima, amor in deliciis!* sponsi scilicet, cum oblectando; aut ad verbum, *quam pulchra facta es, et quam jucunda* (vel suavis, grata et accepta), *o charitas in deliciis!* ita Septuaginta. Hebraice est *וְהָיָה לְךָ בַּחַיִּים*, quod per systolem significat *in deliciis*; per diastolem vero *וְהָיָה לְךָ בַּחַיִּים* *bah taanugim*, idem est quod *filia delectationum*, ut vertunt Aquila et Syrus, id est *delicatissima et delicatissima*; unde Vatablus vertit, *in deliciis primum obtinens*, quibus scilicet tum teipsum, tum sponsum, tum nos adolescentulas Sionides ceterosque omnes mirifice oblectas. Arabice, *quam pulchram est deus tuum, quam delectabilis es, o amor in deliciis!* Multi censent hæc esse verba sponsi, sponseam



Synagogam laudare pergeat. Melius alii censent hæc esse verba chori adolescentularum Sionidarum, id est virginum et puellarum novæ Jerusalem et Sionis christiana. quæ auditis a sponso tantis sponsæ per singula membra elogiis, ejus pulchritudinem admirantes exclamant: « Quam pulchra es, » etc., aut potius esse verba Ecclesie gentium, quæ Synagogæ Judæorum conversæ ad Christum congaudent congratulatur, exultansque illi jam in fide sorori applaudit (hoc enim sororem sorori facere decebat), dicens: « Quam pulchra es, » etc. Id ita esse patet ex vers. 9, ubi dicitur: « Cuttur tum sicut vinum optimum, dignum dilecto meo ad potandum. » Quæ verba non sponsi, sed chori adolescentularum esse constat; nec enim sponsa de se diceret, *dignum dilecto meo, sed dignum me.* Et ex vers. 7, 8: « Statura tua (o sponsa) assimilata est palma, et ubera tua botris vini. Dixi: Ascendam in palmam: » nec enim Christus ascendit in palmam sponse, sed potius descendit, cum ea longe sit altior.

## PRIMUS SENSUS

## ADEQUATUS,

## De Christo et Ecclesia.

Chorus adolescentularum, sive puellarum Jerusalem, id est animarum in fide novellarum et Imperfectarum, Synagoge Judæorum per Eliam convertendæ applaudet, dicens: « Quam pulchra es, o Domina mea, et quam decora in deliciis! » quibus ipsa fruens, quibusque sponsum Christum, et nos adolescentulas tuas mire oblectas, eoque pulchrior apparet quod ex tam longa et atra deformitate perfidie et ignorantie Christi salutisque tute, ad tam ferventem fidem et zelum subito emerisisti, adeo perfecte, ut martyres plurimos et fortissimos Christo dederis, qui, ut jam dixi, « quasi come capitis tui, sicut purpura regis vincita canalibus, » illud mirifice comunt et exornant. Hoc est quod præcinit Isaias exultans in spiritu, cap. xxxv, vers. 4: « Lætabitur deserta et in via, et exultabit solitudo, et florebit quasi liliium. Germinans germinabit, et exultabit lætabitunda et laudans: gloria Libani data est ei: decor Carmeli, et Saron, ipsi videbunt gloriam Domini, et decorem Dei nostri. »

Audi S. Ambrosium in *Psalm.* cxviii, serm. 17, vers. 5: « Quam pulchra, inquit, et suavis facta es, charitas, in deliciis tuis! Pulchra decore virtutis, suavis jucunditate gratiæ, remissione vitiorum, quam nulla vexat amaritudo peccati, et ipsa jam charitas, quæ diligendo Deum et nomen ejus acceperit; quia Deus charitas est. » Cassiodorus: Novella sponsa, inquit, est Synagoga Judæorum, pulchra fide, decora operatione futura est. Honorius: Pulchra ob opera externa, decora ob virtutes internas. Tres Anonymi apud Theodoretum: Admirabili, inquit, circumdata es pulchritudine.

ea nimirum, quæ pervenit ad te ex similitudine et exemplari; nam sponso conjuncta, atque illi fruens referta es incredibili jucunditate spirituali.

## SECUNDUS SENSUS

## PARTIALIS,

## De Christo et anima sancta.

Anima sancta per gratiam et opera heroica, præsertim patientiæ in adversis ac martyrii, adeo fit pulchra, ut sit *filia deliciarum*, hoc est illicium et delictum Dei, angelorum et sanctorum omnium. Quocirca S. Jacobus, cap. 1, vers. 2: « Omne gaudium, inquit, existimate, fratres mei, cum in tentationes varias incidieritis: scientes quod probatio fidei vestræ patientiam operatur. Patientia autem opus perfectum habet. » Et Paulus, Rom. v, 3: « Gloriamur in tribulationibus, scientes quod tribulatio patientiam operatur. » Hinc Chalæus verit: « Dixit rex Salomon: Quam pulchra es, cælestis Israel, in tempore quo tu portas jugum regni mei, in tempore quo ego corripio te in infirmitatibus propter peccata tua, et tu suscipis in charitate, et videntur tibi delicia. »

Delicia ergo anime sanctæ, primo, sunt tribulationes et cruces; secundo, divinæ dulcedines, inspirationes et consolationes spirituales, quas Deus fidelibus sibi devotis et præsertim tribulatis aspirat, ac præcipue spes gloriæ cælestis: ita Cassiodorus. Tertio, Theodoretus ait hæc delicia esse amoris et charitatis: « Diligis enim, inquit, amantem te sponsum, et in ejus amore tuas omnes delicias collocans reliqua omnia despexisti. » Quarto, Rupertus: « Quid est, inquit, in *delictis pulchrum et decorum* esse, nisi in abundantia gratiæ mansuetudinem summamque cordis humilitatem habere? » Quinto, hæc delicia sunt sanctæ Scripturæ: audi S. Gregorium: « Notandum, inquit, quod *charissima in deliciis* dicitur, quia ad charitatem et familiaritatem Christi non pervenit, quisquis Scripturæ sanctæ delicias abundare non contendit. Inde enim dicitur, *Matth.* cap. xiii, vers. 12: *Omni habenti dabitur et abundabit; ei autem, qui non habet, et quod videtur habere, auferetur ab eo*: his enim deliciis qui abundat, reficitur; his relictus, assidue ad majora percipienda preparatur. » Sexto, S. Augustinus, tract. 65 in *Joannem*, mortem, quam intelligit charitas, docet esse suavissimam, hasque esse delicias charitatis, ac charitatis in deliciis: sic enim ait: « O quam bene cantatur tibi in epithalamio tuo, *Cant.* vii, 6: *Quia charitas in deliciis tuis!* Ipsa non perdit cum impiis animam tuam, ipsa discernit causam tuam, et sicut mors valida est, et in deliciis tuis est. Quam ziranidi essent mors, cui parum fuit non esse in penis, nisi esset insuper et in deliciis. »

Hæc de causa sponsa hic vocatur אהבה *ahava*, id est amor, dilectio, charitas in deliciis, id est deliciosissime et summe amabilis, dilecta, chara

(Noster verit, *charissima*), adeo ut ipsissimus amor, ipsa pulchritudo, ipsa suavitas, et decor, ipsissime delicia esse videatur: quia illi charitas in deliciis est, id est quia amat que vere amabilia sunt; quia diligit que charitate et dilectione digna sunt: ita Sanchez.

Sic tertia filia S. Sophie, virgo et martyr, vocata est *Charitas*, quasi summe Deo et hominibus amabilis fuit. Sic S. Lieba, vel Lioba, in Anglia nobilibus parentibus per votum concepta, a prima etate Deo a parentibus ex voto consecrata hoc nomen accepit, quod Deo et hominibus esset dilecta: *Lieb* enim germanice *dilectam* significat; quare in monasterio pie educata miræ sanctitatis evasit. Audi autem *Vite* ejus: « Erat aspectu angelica, sermone jucunda, ingenio clara, consilio magna, fide catholica, spe patientissima, charitate diffusa; et cum lætam semper faciem præferret, nunquam hilaritate nimia resoluta est in risum. » Quocirca in abbatissam electa, moniales sibi subditas eximia prudentia et sanctitate gubernavit: quare a Carolo Magno imperatore et uxore ejus Hildegarde sæpius accessita, ab eis in honore habita, ac magna reverentia excepta fuit, adeo ut Hildegardis Aquisgranum oculos ejus abentis exsolvens diceret: « Vale in æternum, domina et soror dilectissima, vale, anime mee portio pretiosa. Christus creator et redemptor noster tribuat ut nos in die judicii sine confusione videamus. Cæterum in hac luce mutuo nunquam ab hoc die conspectu fruemur. » Pluribus intriculis claruit. Exstat ejus *Vita* a Rudolpho viro gravi scripta apud Surium, die 28 septembris.

Anagoge Honorius: *Delicta*, ait, Ecclesie cum Christo regnantis, sunt gaudia paradisi exultationis: in his deliciis est ipsa pulchra et decora, quia fulget ut sol et luna, et Christo et angelis est charissima.

## TERTIUS SENSUS

## PRINCIPALIS,

## De Christo et B. Virgine.

Nil pulchrius, nil speciosius, nil jucundius, nil deliciosius in universa creatura, quam B. Virgo: quocirca Ecclesia in Officio hanc antiphonam hinc desumptam illi acinit: « Speciosa facta es et suavis in deliciis tuis, sancta Dei genitrix. » « Quam pulchra, ait Hallgrinus, es in maternitate, quam decora in virginitate, quam admirabilis in utero! » Nam, ut recte explicat Guilielmus: « In quibus agebat sanctæ juvenitatis deliciis, cum Deum Verbum maternis amplexibus stringeret, et sacra illi oscula materni oris imprimeret; cum illam, qui in celo de se pascibat angelos, maternis uberibus aleret, et cætera maternæ pietatis officia pro tempore ministraret! Denique in his omnibus divini mysterii et sui privilegii non ignata, optime noverat se esse matrem majesta-

tis, et hoc nosse, singulares et juges illi delicia erant. Porro quod ad rem præsentem spectat, beata Virgo pulchra et decora erit tot Judæorum ad se et filium suum per Eliam conversione, quam ipsa procurabit, quasi *charitas in deliciis*, ut scilicet illis suam charitatem gustandum offerat, et vicissim illorum charitate sanctitateque delictur, seque oblectet. Hinc illa non tantum hominum in terra, sed et angelorum et audeorum in celo est delictum, desiderium et gaudium, ut omnes ei succinant: « Sicut lætan'ium omnium habitatio est in te, sancta Dei genitrix. »

Denique Philo legens (licet contra fidem Codicum Hebræi, Græci et Latini), quam speciosus factus es et potens, id ad Christum sponsum refert, quia homo est: Charitas in deliciis tuis, id est, inquit, quod ait sapientia Christus, *Proverb.* viii, 31: « Et deliciae meæ esse cum filiis hominum: » tanta enim nos charitate complectitur, ut nihil aliud quam nos secum semper esse malit, hoc enim de nobis avel, hoc postulat, hoc efflagitat; unde subdit: « Hæc est magnitudo tua, assimilata es palmae; » q. d. Magnitudo immense charitatis tuæ assimilata est palmae: palma enim cordis internam charitatem et virtutem vimque fidei inextinguibilis ostendit, etc., quæ ad superna et sempiterna cor attollit, nec ullis adversis frangitur, sed inter omnia, imo super omnia invicta perdurat ac regnat.

## VERS. 7. STATURA TUA ASSIMILATA EST PALMÆ, ET UBERA TUA BOTRIS.

STATURA TUA ASSIMILATA EST PALMÆ. — Hebrææ, hæc statura tua; Septuaginta, hæc magnitudo tua, quod Complutenses referunt ad id quod præcessit, hoc modo, *dilectio in deliciis tuis, hæc magnitudo tua*, q. d. Dilectio tua deliciosa est magnitudo tua; Aquila, *אשר איתארתו*, id est hæc suscitatio, vel resurrectio tua, quæ scilicet, o Synagoga, a perfidia ad fidem, a morte ad vitam, a Moysæ ad Christum *עשרת* Symmachus, *אשר איתארתו*, id est hæc juvenus, vel ætas tua præsertim florida, valida et militaris, quæ incipiebat ab anno 17, teste Plotarcho in *Græcho*, notat Synagoge etatem vegetam et validam in fide Christi, quæ contra Antichristum usque ad mortem est decerata. Syrus, hæc statura tua, quam scilicet hucusque descripsi; Arabice, *magificata est fama tua, vel natura et indoles, ut palma*; palma enim recta crescit in altum, ac superne caput et comam habet similem humane. Sensus est, q. d. O sponsa novella, proceras es, et alto collo ac corpore instar palmæ: hæc enim est ingens dos et laus, quam ambiunt femine, ideo et collum erigunt, et turritos pileos capiti imponunt, et altos cothurnos pedibus subjiciunt, ut proceriores esse videantur. Hinc Ovidius de *Galatea*, lib. XIV *Metamorphos.*:

Longa procerior stas.



ET UBERA TUA BOTRIS. — Per botros accipe altas alve spatiosa palmarum, in quibus multitudo dactylorum continetur: hæc enim plane figuram habent ubertum, æque ac botri uvarum: ita Theodoretus, tres Anonymi, Gislerius et Sanchez, licet Aben-Ezra, quem sequuntur Luysius, Alcazar et Genebrardus, botros vitis et uvarum hic accipiant, quas in Judea aiunt maritari cum palmis, sicut in Apulia maritantur cum altissimis arboribus: vites enim ibi adeo crassæ et altæ evadunt, ut altissimis arboribus æquari et copulari queant, adeo ut una lot uvas proferat, quot sufficiunt ad vas vini exprimendum. Unde et sequitur: « Ascendam in palmam, et apprehendam fructus ejus: et erunt ubera tua sicut botri vineæ: » hi enim non tantum figura, sed et succo similes sunt uberibus, dant enim vinum, sicut ubera dant lac. Unde, cap. I, vers. 1, et cap. IV, vers. 10, dixit: « Meliora sunt ubera tua vino. »

Porro ubera jungit staturæ, quia cum femina statura et ætate grandescit, grandescunt pariter et infumescunt ubera, ut quasi sponsa prolem concipere, gignere et alere queat, juxta illud, Ezech. XVI, 7: « Et grandis effecta et ingressa es, et pervenisti ad mundum muliebrem: ubera tua infumuerunt. »

## PRIMUS SENSUS

## ADEQUATUS,

## De Christo et Ecclesia.

STATURA TUA ASSIMILATA EST PALMÆ.—Synagoga ad Christum conversæ, et per Eliam convertendæ, statura similis palmæ notat ejus magnam et excelsum animum, quo contra Antichristi minas et blanditias generose sese erigit, illasque contemnendo transcendit et superabit, adeo ut pro Christo mortem oppetere desideret, uti paulo ante dixi. Hinc sicut palma, quo magis onere imposito deprimitur, eo magis sese erigit, sic pariter tunc ad Christum conversi, quo acerbiora ab Antichristo patientur, eo fortiores evadent. Rursus sicut palma, teste Plinio, lib. XIII, cap. IV, fragifera non est nisi in solo fervido, nitroso, aut salso, ideoque videtur proceritate sua terram despiciere et cælum appetere, ac recta eo conscendere, vixque humi radicibus nisi, quia ibi nihil inventi nisi insulsum: sic et viri sancti mentem habent defixam in cælo, ideoque terrena omnia illis desipiunt, ac crucem Christi adamant, in eaque radices agunt, nutriuntur et crescent usque ad cælum, ad quod anhelant.

Plures analogias palmæ et Ecclesie, vel animæ sanctæ in perpetuo virore, rectitudine, robore, altitudine, fructu, coma, etc. recensui *Eccles. XXIV, 18*, ad illa: « Quasi palma exaltata sum in Cadés, » inter quas illa præ cæteris convenit Synagoga, quam Nyssenius tribuit S. Gregorio Thaumaturgo *Orat. de eo*, scilicet, quod sola inter arbores palma, in radice perfecta crassitudine acuminis

e terra exurgat et crescat; cumque in altum recta progrediens proceritatis suscipiat augmentum, nihil ei in crassitudine accedit, sed æque crassa, fortis et inflexilis permanet: pari modo enim Synagoga in fine mundi convertenda ad Christum statim ab initio tantam fidem et virtutis crassitiem roborque accipiet, ut illico perfecta evadat, ac doctores martyresque progerminet, qui instar Pauli animam et vitam pro Christo profundant.

Hinc rursus symbolice per palmam accipias crucem Christi, a qua omnis gratia roborque illis obvenit, ut patebit ex sententiâ sequenti: « Ascendam in palmam, etc. q. d. Statura tua, o Synagoga, similis est Christo in cruce exaltato, quia multos ei reddis martyres et crucifixos ab Antichristo. Hoc est, quod prædixit Christus, *Joan. XII, 32*: « Ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum. »

ET UBERA TUA BOTRIS. — q. d. Doctrinæ tuæ la convenienter et abundanter omnibus tuis illi suppeditas. Vide symbola uberum, quæ recens cap. IV, vers. 5, et cap. I, vers. 1. Porro Alcazar qui botros non palmæ, puta dactylos, sed vitis puta uvas, accipit, sic explicat, q. d. Sicut in Judea vites maritantur cum palmis, botrosque et vinum producent: sic pariter Synagoga conversæ ad Christum botrum vinumque cum palma et dactylis, id est sapientiam cum sanctitate conjungent, ideoque ubera ejus erunt similia botris vini, non lactis: quia discipulos suos olet vino perfecta sapientie et virtutis, puta contemptum mundi, zeli, mortificationis, desiderii, martyrii, etc. quo aluntur novitii in bene ordinatis religionibus: nam et discipuli Eliæ certantur contra Antichristum erunt, æque ac ipsi religiosi. Illi ergo velut botri, qui hausto e cælis alimento in altum creverunt, æstu persecutionum et tribulationum jam deococi et maturi, ac gravi pondere in torculari crucis compressi, vinum sponso Christo suava præbebunt, quod cor ejus lætificabit. Ubra ergo similia botris significent insignem Synagoga in docendo sedulitatem et constantiam, in lucrando animis charitatem, in lactandis parvulis largitatem, aiunt Philo et Honorius.

Symbolice Honorius: « Statura, inquit, Ecclesie (et animæ sancte) est perseverantia certamine, que et ibi crescere cœpit et ad ultimum electorum perseverabit, sive in apostolis crescendi sumpsit exordium, et in Synagoga ultima conversione consummabitur. Palma est, inferius aspera, et superius pulchra, et dicitur victoria, et intelligitur Christi vita, quæ hic in terris fuit in asperitate passionum, et post victoriam crucis fuit in pulchritudine cælorum. Statura ergo sponsæ assimilabitur Christi tolerantia, quia Ecclesia hic fuit aspera in pressuris; sed victoria posita de vitis, pulchra fulget in cælis; palma etiam conservat folia, et Ecclesia, variante statu sæculi, eadem tenet fidei mysteria. Ubra Ecclesie sunt

duo Testamenta, de quibus sugunt prædicatores iac mysteria intelligentiæ, qui prædicatores dicuntur *vici*, quia rudibus præbent lac doctrinæ; qui assimilati sunt botris, quia sicut botri pleni sunt vino, ita ipsi pleni sunt scientiâ; et sicut botri pressi inebriant, ita ipsi in mundo pressi lac doctrinæ propinant. »

## SECUNDUS SENSUS

## PARTIALIS,

## De Christo et anima sancta.

ANIMA sancta similis est palma, juxta illud, *Psalm. xci, 13*: « Justus ut palma florebit, » prima, quia instar palmæ recta est per justitiam. Secundo, quia alta per celestem vitam et contemplationem, juxta illud, *Philipp. III, 20*: « Nostra conversatio in cælis est. » Tertio, quia semper vivens per animi vigorem; unde S. Ambrosius, *lib. III Hieronim. cap. XVII*: « Imitare, ait, homo, palmam, ut dicatur et tibi, *Cantic. VII, 8*: Statura tua similis facta est palma. Serva viriditatem pernitie tuæ et illius innocentie naturalis, quam a primordio recepisti, ut plantatus secus decursus æquarum fructum tuum in tempore tuo habeas præparatum, et folium tuum non defluat, » etc. *Psalm. I, 3. Quarto*, quia adversariis oblietatur, et altius exurgit. Quinto, quia dactylos, id est fructus suavissimos elemosynæ aliarumque virtutum profert. Sexto, quia palma, licet in crassitie trunci non crescat, uti dixi ex Nysseno, crescit tamen in dilatatione ramorum et comæ; unde S. Gregorius: « Palma, ait, dum crescit, dorsum stringitur et sursum dilatatur, sic sancta anima ab imis ad minima incipit, et paulatim ad majora crescendo, usque ad amplitudinem perfecte charitatis pervenit. Nemo enim, sicut scriptum est, *repente fit summus*. In Psalmo autem de justo homine dicitur: *Justus ut palma florebit*, *Psalm. xci, 13*. Ubra autem sponsæ duo præcepta charitatis existunt, quæ animam, quam possident, vino celesti inebriant et nutriunt. Potest tamen per palmam crux Christi intelligi: palma enim in sublime valde crescens dulcissimos fructus gignit, et crux Christi celestem cibum nobis preparavit, cui statura sponsæ assimilatur, quia pro Christo mori non dubitat, quisque Christum valde diligens imitatur. » Septimo, palma symbolum est victoriæ quam sancti pugnando contra carnem, diabolum et mundum obtinent, ejusque præmi quod obtinebunt, juxta illud, *Apocalyp. VII, 9*: « Et palmæ in manibus eorum: » ita Cassiodorus: « Palma, ait, victorem ornat manum. » Octavo, palma spinosa est et aculeata, sic aculei et spine in justis sunt increpationes in peccatores, ait Philo, quibus eorum vitia castigant.

Rursus palma inferius in trunco aspera est, superius vero amena in ramis, et suavis in dactylis, sic et « Sancta Ecclesia, ait Cassiodorus, animaque in inferioribus asperitatem laborum et passionum sustinet pro Christo; in superioribus vero, hoc est in cælestibus, pulchritudinem et suavitatem expectat præmiorum. » Porro anima sancta habet ubera doctrinæ et beneficentie quibus alios lactet et nutriat; unde Theodoretus: « Cum, ait, excelsa sis, adeo ut cæli fastigia attingas, lamen submittas te infirmis discipulis tuis, quibus doctrina indigentibus ubera præbes doctrinæ tuæ: palma enim fructus pendentes habet. » Porro Cassiodorus, Beda et Justus per ubera accipiunt doctores; Apocritus vero martyres: hi enim sanguinis sui exemplo, quasi lacte fideles minores in fide alunt et roborant. Huc facit versio Chaldaei: « Et in tempore quo sacerdotes extendunt manus suas in oratione, et benedictum fratribus suis, domui Israel, similes sunt digiti manus eorum extensi ramis palmarum, et statura eorum est sicut palma. Et Ecclesia sua stat facit ad faciem contra sacerdotes, et facies eorum inclinatae sunt in terram sicut botri uvarum. » Denique Philo Carpallius per staturam accipit magnitudinem charitatis, uti dixi in fine versus precedenti; unde sic lego: *Charitas in deliciis, hæc est magnitudo tua*. Symbolice, statura palmæ sunt quatuor dimensiones crucis, quæ recensui *Ephes. III, 18*, quibus se admetri, quoad potest, et commensurare debet anima sancta. Anagogice Honorius: « Animæ gloriöse staturæ est æqualitas angelorum, quæ palma est assimulata, quia in terris fuit angustata, in cælestibus autem dilatata. Ejus ubera sunt comparata botris, quia apostoli et alii doctores ejus sunt pleni æternæ dulcedinis. »

## TERTIUS SENSUS

## PRINCIPALIS,

## De Christo et B. Virgine.

Beata Virgo physice statura fuit proœra, teste S. Epiphano apud Nicæphorum, lib. II, *XXIII*. Ethice statura ejus fuit celsitudo animi, proseritum in adversis et passione Christi; unde de ea ait Joannes, cap. XIX, vers. 23: « Stabat juxta crucem Jesu mater ejus. » « Stabat, inquit Guilielmus, illa juxta crucem sui Jesu, atque eo ipso sibi met quodam modo erant in crucem erecta, stando juxta crucem filii, ipsa sibi quodam modo per affectum maternum illam parum. Sic ergo cum staret juxta insignem illum palmam, statura ejus assimilata est palmæ; sed clarificato jam filio, a resurrectione ejus et deinceps, ubera ejus assimilata sunt botris; unde et sequitur: *Ascendam, »* etc. Palma non longitudine, sed statura, id est statumine et firmitate superat cæteros arbores. Mystice talis est B. Virgo; unde de ea sic scribit S. Epiphanius, tom. III, *hæresi 78*: « Cum Joannes in Asiam instituerit profectorem, et nusquam dicit Scriptura quod abduxerit secum sanctam Virginem, sed simpliciter sicuti propter miraculi